



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 15. Piæ actiones Romæ a S. Ignatio peractæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](#)

*tionem puerorum in rudimentis fidei juxta Sæc. XVI,  
eandem Bullam.* Solus tamen Ignatius A.C. 1541.  
cunctos hosce articulos immediate sum-  
mo Pontifici promisit, ceteri vero ejus-  
modi promissa fecerunt S. Ignatio tan-  
quam eorum Præposito ac Capiti; qua-  
propter in signum debitæ submissionis  
atque obedientiæ eidem humiliter ma-  
nus deosculabantur.

## §. XV.

*Piæ actiones Romæ a S. Ignatio  
peradæ.*

**N**uncupatis hisce votis novus hic Præ- *Orl. n. 140*  
positus primas eo curas intendit, ut & seq.  
Christianæ doctrinæ rudimenta trade-  
ret. Selegerat ad prius hoc exercitium  
Ecclesiam S. Mariæ de Strata; hæc e-  
nim ejus Sociis, qui prius non nisi do-  
mum mercede conductam incolebant,  
dono data fuerat, in qua Ecclesia Igna-  
tius per sex omnino hebdomadas conti-  
nuo sacrum hoc ministerium obibat:  
priusquam vero suas Constitutiones ela-  
borasset, pro privatis Societatis suæ  
membris quædam generalia conscripsit  
statuta, cumque ejusdem Socii a summo  
Pontifice ad diversas Christiani Orbis  
Provincias mitterentur, & quidem Sal-  
meron & Broetus in Hiberniam, Jaco-  
bos Lainez Venetas, Petrus Faber Ma-  
dritum, Bobadilla & Claudius le Jay

B 2

Vien-

**Sac. XVI.** Viennam ac Ratisbonam contenderent,  
**A.C. 1541.** Ignatius Romæ persistebat, unice pieta-

tis Christianæ exercitiis intentus, præcipue vero iis, quæ animarum salutem respiciunt, unde in Xenodochiis, aliisque locis ægrotantibus inserviebat, domumque constituebat, in qua omnes Judæi, qui sacro fonte ablui peterent, fidei doctrinis imbui possent; ut vero pium hoc opus perficere posset, plurimorum pietatis studiosorum liberalitatem sollicitabat. Insuper cum eo tempore Romæ plures tam nuptæ quam solutæ mulieres impellente inopia ex prostituta pudicitia quæstum facere cogerentur, aliam domum, in qua hæ tutum pudoris perfugium haberent, erigere statuit, tam prospero successu, ut concurrentibus quam plurimis Romanæ urbis Primoribus intra breve temporis spatum Divæ Magdalenæ conversarum, ut vulgo dicitur, cœnobium tam pro conjugatis, quam innuptis exsurgeret. Nec hic stetit pia Ignatii sollicitudo; quippe toto studio pro alendis orphanis annuos reditus stabilire intendit, nec defuit sacro proposito secundus omnino effectus; eodem enim anno duæ in urbe habitationes, quæ adhucdum florent, constitutæ sunt, in quibus pueri & puellæ parentibus orbati ab ætatis periculis, & inopiate molestiis eripiuntur. His ita fe-

li-

liciter peractis Ignatius residuam anni <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
partem in efformandis Societatis suæ A.C. 1541.  
legibus, quæ anno sequenti prodierunt,  
solerter impendit.

## §. XVI.

*Ghinucii Cardinalis obitus.*

Hoc anno Ghinuccius, Fregosius & *Ciac in vita*  
Caraffa Cardinales fatis cedere co- *Pont. t. 3. p.*  
gebantur. Horum primus Senis natus <sup>569.</sup> *Ughel. in*  
ibidem primo Canonicus, dein Cameræ *Italia sacra.*  
Apostolicæ Clericus & Auditor renun- *Aubery vit.*  
tiatus est, nec minus signandis literis A- *Card.*  
postolicis præfectus, sub Julio II. Ponti- *Guicc. l. 16.*  
fice secundæ Concilii Lateranensis Ses-  
sioni interfuit, a Leone vero X. hujus  
Successore in Angliam ad Henricum  
VIII. tanquam Legatus decernebatur,  
ibidemque diu commoratus summa Re-  
gis benevolentia potiebatur, atque ab  
eodem ad Episcopatum Vigornensem  
nominatus, insuper a summo Pontifice  
Asculanam Ecclesiam obtinuit. Refe-  
runt quoque nonnulli, quod idem a Cle-  
mente VII. ad Melitensem electus, ac  
demum ad Cavallensem Episcopatum  
translatus fuerit, interim id certum est,  
quod a Paulo III. Papa die vigesima  
Maji anno Domini quingentesimo trige-  
simo quinto supra millesimum inter Car-  
dinales Presbyteros cooptatus, & bien-  
nio post ad Carolum V. Imperatorem in